



## **Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales**

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacramentis In Genere Ac De Sacramentalibus Nec Non De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, atque Extremæ Unctionis Decisiones

**Chiericato, Giovanni Maria**

**Augustæ Vindelicorum, 1730**

Decisio XLVIII. Argumentum. Sciscitantur causæ, ex quibus gignuntur Monstra, & docetur alias esse naturales, alias supra, alias infra naturam: Historiis, & exemplis eædem declarantur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94638)



per plures dies in lecto permanere. Caterum digna scitu est apud omnes Parochos historia Nabuchodonosoris Regis Babylonis: quem conversum in bestiam testatur Scriptura Sacra in *Daniel. cap. 4. num. 30.* Quomodo igitur hæc mutatio in belluam facta fuit? Origines ausus fuit dicere, hanc fuisse parabolam exprimentem casum Luciferi; sed eum redarguit S. Hieronymus quia fuit vera historia, & verum factum in persona illius Regis. Medina *lib. 2. de fide cap. 7.* putat mutationem fuisse merè præstigiatoriam, ut scilicet Rex sibi ipsi videretur esse bos: & oculis astantium, vel per illusionem sensuum, vel per compositionem, & applicationem figuræ bovis ex aere compactæ. & applicitæ corpori ipsius Regis; sed hæc repugnant verbis Scripturæ dicentis; *cor fera ipsi datum, & fenum ut bovem comedisse.* Alii volunt imaginationem Regis ita vehementem fuisse ut verè crediderit esse bovem. Ita Francisc. Valles de *Sacra Philos. cap. 8.* & Hier. Mercur. *lib. 6. Par. Lest. cap. 20.* Alii quòd privatus fuerit rationis usu, & ceciderit in dementia, per septennium, quo tempore tanquam Bos errabat per prata; vivens ex herbis, ac si verè Bos, & bestia fuisset, ut pluribus citatis discurret Schottus *d. lib. 3. Physic. Cur. cap. 21.* Caterum factum Nabuchodonosoris tanquam naturæ metas excedens fuisse merum miraculum ait Licetus *d. lib. 1. de Monstris cap. 13.* At Tirinus in *cit. cap. 4. Daniel. vers. 13.* ait, quòd ita fuit turbata phantasia Nabuchodonosoris, ut sibi videretur esse bestia, v. g. Ursus, vel Bison, vel alius Bos sylvæstris, unde subdit: Nec tamen sola phantasia, & appetitus ejus sic turbata fuerunt; sed etiam cordis, & corporis temperamentum ita immutatum, & eferatum est, ut esset simile temperamento feræ bestie, quantum fieri potuit citra naturæ humane amissionem; unde, & facies ejus ab humana fuit nonnihil diversa, & accedens ad ferinam: cutis non mollis, sed dura, pilis vestita crassissimis, longissimis, & nigerimis ex fuligine crassissimæ Melancholiæ sensim subortis, quæ referrent horridas, & minaces cristas Aquilæ, ut dicitur *Vers. 30.* Manus, & pedes callosi unguibus quasi aquilinis armati, quibus humi quasi quadrupes incurvus, pronus, & semper nudus reptabat, nec nisi herbis, & radicibus, ut bovino appetitui sibi à Deo indito obsequeretur, victitabat, omni usu rationis, loquelæ, & vocis articulata destitutus, ut Bos mugiebat. Hucusque Tirinus. Quòd ad collationem Baptismi attinet, si Neophytus ex præstigio mutatus esset in bestiam, non esset baptizandus, supposita ejus aliena voluntate à fide, in qua si constans fuisset, credibile est Deum non permisisse, ut diabolus eum immutaret: quòd secus esset dicendum, & faciendum, si ex sola imaginatione, vel defectu usus rationis crederet, esse in bestiam mutatum. His addere liceat, tanquam monstruositatem sapiens, sequens

## DUBIUM XI.

An dentur partus numerosi mulierum?

**B**inas proles à mulieribus edi unico partu, nec novum est, nec rarum. Nam & Rebecca uno partu peperit Jacobum, & Esau. *Genes. cap. 25.* & Thamar Pharem, ac Zaram. *Genes. cap. 38.* De Tergeminis natis scribit Titus Livius *Decad. 1. lib. 3. Plinius lib. 7. cap. 3. Majolus colloq. 3.*

& Aldrovandus *cap. 1. de Monstris pag. 51.* Quatuor natos uno fœtu testatur Plinius *lib. 7. cap. 3.* Solinus *cap. 2.* & Cælius Rhodiginus *lib. 4. cap. 23.* Quinque simul proles natas habemus ex Aristotele *lib. 7. Hist. Anim. cap. 4.* & Anlo Gellio *lib. 10. cap. 2.* Senos fœtus enixam fuisse nobilem Matronam dicit Paræus apud Aldrovandum *cap. 1. de Monstris.* Septem autem filios à quadam Meretrice unico partu datos notat Majolus *colloq. 3.* & Trogus apud Plinium *lib. 7. cap. 2.* Abam mulierem Germanam primo partu effudisse novem filios; secundo partu undecim; Uxorem verò Isemberti Comitis de Altdorf, quæ judicaverat impudicam mulierem; tres pueros in uno partu enixam, peperisse in pœnam, unico pœperio, filios duodecim; qui omnes educati à Patre vixerunt. Aliam matrem vigintiduos abortivos fecisse, aliam trigintafex, aliam septuaginta, aliam centum; & quinquaginta ex Alberto Magno narrat Schottus in *Phys. Cur. d. lib. 3. cap. 29. §. 1.* qui §. 2. pluribus cumulatis auctoribus, narrat Margaritam Principissam in Hollandia; rejecisse à se pauperulam duos geminos filios lactantem, & eleemolynam petentem, tanquam adulteram; cui illa ait, *Rogo Deum, ut Excellentia Vestra tot filios pariat, quot sunt dies in anno.* Hoc, anno sequenti, comprobatum est; nam ipsa Domina Margarita ætatis suæ anno 42. & anno salutis 1276. ipso die Parasæves, peperit infantes vivos promiscui sexus trecentos, sexaginta quatuor, qui omnes baptizati fuerunt à Domino Guidone Episcopo; & paulò post omnes, unà cum Matre obierunt. Multiplices fœtus generari in Utero ex abundantia seminis procedit. Hos autem partus numerosos fuisse ex miraculo, nemo dubitabit. Quòd verò ad materiam nostram de Baptismo, hos omnes, si vivi nascuntur, esse Sacro Lavacro regenerandos nemo dubitabit.

## DECISIO XLVIII.

## ARGUMENTUM.

Suscitantur causæ, ex quibus gignuntur Monstra, & docetur alias esse naturales, alias supra, alias infra naturam. Historiis, & exemplis eadem declarantur.

## SUMMARIUM.

- 1 Monstra ex quot, & ex quibus causis nascuntur?
- 2 Seminis humani superfluitas causa monstrorum. Item debilitas.
- 3 Conceptio fœtus in utero Materno descripta.
- 4 Semen humanum cum semine bestie gignit monstra.
- 5 Monstrorum editorum à Mulieribus exempla.
- 6 Corporis Materni nimium incommodum monstra gignit.
- 7 Imaginatio genitorum causa Monstrorum. Exempla.
- 8 Monstra an sint ad prasagium, vel punitionem malorum?
- 9 Mahometis adventus Prasagium in Thracia.
- 10 Petri de Luna Schisma prenunciatum.
- 11 Punitionis causa Monstra nascuntur. Exempla.



**T**ot Monstrorum speciebus hucusque declaratis addamus nunc sequens Dubium, & quæramus causas productione eorum. Itaque sit

## DUBIUM XII.

*Quæ, & Quot sint causa, ob quas nascuntur Monstra?*

**V**arietas opinionum circa causas minor non est, quam sint ipsa monstra, quæ quidem innumerabilia reperiuntur. Porro causæ ipsæ vel sunt naturales, vel supernaturales, vel infranaturales. De naturali in præsentî dubio, quæ subdividitur in *Intrinsicam*, & in *Extrinsicam*. Causa *intrinsicam* est semen per carnealem copulam effusum in utero materno; quod vitatur, vel per excessum, vel per defectum, vel ob incongruam commixtionem, sive indebitam collocationem, vel ob uteri angustiam, vel ob eisdem in membranas non probam distinctionem, aliamve pravam dispositionem, aut confirmationem. Semen excessivum est causa Monstrorum, ex Aristotele *lib. 4. de Generat. Animal. cap. 4.* ubi damnantur frequentiores hominum congressus in carnali copula ex Galeno *lib. de Hist. Philosoph. & Alberto Magno lib. 18. de Animal. cap. 6. & lib. 2. Physic. tract. 2. cap. 3.* Cardano *lib. 12. de subtilit. & ex Liceto d. lib. 2. cap. 60. & seqq.* ac aliis citatis per Schottum in *Physic. Cur lib. 5. cap. 27.* ubi colligit, quod ex horum Auctorum doctrina seminis superfluitas facit, ut fœtus vel plura acquirat membra, ut sex digitos, tres vel quatuor manus, pedesve, aut duo capita, vel solito majora. Vice versa seminis defectus, (ut quia sit vel exiguum vel debile, spiritibus vitalibus destitutum) ut fœtus non nascatur omnia membra; & monstruosus in aliqua corporis parte nascatur, in causa esse dicitur. Ob incongruam seminis commixtionem pariter generantur monstra quamvis enim Deus primi Maris Adami corpus ex luto, primæque Fœminæ ex Adami Costa formaverit, formatisque animam infuderit; reliquos tamen homines ex copula Viri & Fœminæ, & ex seminis amborum permixtione, quoad corporis formationem progigni voluit; cui ipse deinde formato, ac penitus absoluto infunderet animam rationalem à se creatam. Quapropter observant Medici, & Anatomici, quod mixta ambo semina, maris scilicet, & fœminæ in utero fœmineo, illico quadam tenui tunica, ex calore uteri producta, concluduntur, & instar ovi tenuissima pellicula conclusi, copulantur; atque hanc vocant conceptionem. Post eam producuntur aliæ tunicæ, tanquam munimenta fœtus; & conficitur membrana *Chorion* appellata, quæ extenditur crescente fœtu, & post partum, in fasciculum conclusa, rejicitur; ex ipsa tamen altera tunica dicta *Annea* valde mollis, ambiens totum fœtum humanum, ut à lædentibus defendi possit; in brutis verò sit alia tunica dicta *Ollantoides*. Interim ex seminibus ita mixtis emergunt subtilissimæ fibræ ex quibus, primum omnium bifurcata quædam vena, per umbilicum postea fœtus ad uterum matris directâ, deducitur. In altero hujus venæ ramo sanguinis colligitur, ex quo hepar generatur; ex altero verò ramo reliquæ omnes venæ hinc, quæ ad unum truncum in superiori jecoris parte, nempe ad venam cavam referuntur. Dein ope virtutis feminæ producitur cor cum suis venis. Subinde cerebrum, nervi, ossa, cum suis cartilaginibus,

& membranis, & ex iis corpusculum compaginetur, in quod Deus Optimus Maximus animam ex nihilo creatam infundit. Igitur sex primis diebus post conceptionem, materia seminalis in utero contenta est ad instar lactis. Subsequentibus aliis novem diebus in sanguinem mutatur. Aliis duodecim consolidatur; reliquis decem, & octo usque ad quadragesimum quintum omnia membra perfectissimam formam adipiscuntur, ut deinceps fœtus tantummodò augeatur. Unde Versus.

*Sex in lacte dies: ter sunt in sanguine verni:*

*Bis feni carnem: ter feni membra figurant.*

Quæ omnia me suavis faciunt, quod si bestia semini in utero mulieris; vel vir nefandam copulam exercent cum bestia, & in ejus vulva semen humanum profundat; et si disputabile sit, an homines rationales possint generari, ut videbimus infra in dubiis 16. & 17. nihilominus monstra gigni possunt tam in utero mulieris, quam in utero bestia, quæ habeant speciem humanam; ut de *Hippocentauris*, & *Onocentauris* diximus supra, quamvis expertia rationis, ut post longam disputationem consentit Schottus in *d. lib. 3. Phys. Cur. cap. 5. §. 3. Vers. Tertio, & in lib. 5. cap. 27. Vers. Seminis confusio.* Hanc opinionem fulciunt exempla relata à *suprad. Antonio Masino cap. 1. pag. mibi 8. & 9.* videlicet Navarra Anno 1471, ortum esse monstrum cum tribus capitibus, viri uno, canis altero, & felis tertio. Anno 1474. Papiæ mulierem peperisse fœlem cum humana facie. Et Austria aliam mulierem pariter peperisse tres feles, duos masculos, alteram fœminam. His addendus noster Fortunius Licetus de *Monstris d. lib. 2. cap. 71. & 72.* ubi plene examinat hanc dubitationem.

Uterius monstra efficiuntur ob indebitam collocationem seminis in utero: nam dum matres toto graviditatis tempore otiosæ domi sedent, vel de cussatis cruribus, curvo, & prono in genua corpore stant, dum onus subeunt, vel ventrem fasciis, aut vestibus arctius constringunt, utrumque comprimunt, enituntur fœtus obstipos, repandos, gibbosos, pedibus, aut aliis corporis partibus distortos. Et idem est dicendum, si seminis non fiat æqualis distinctio, & distributio ad omnes partes fœtus, vel quia sit nimis crassum, & durum sperma, quod obruat virtutem genitalem, atque formatricem; vel quia sit nimis aqueum, ac fluxile; ex quo ossa, nervos, venas, arterias, aliasque partes solidiores efformare non possit, ut ex medicis, ac Anatomicis philosophatur Schottus *d. lib. 5. cap. 27.* Et hæc de causa Naturali intrinsicam, ob quam nascuntur Monstra. Sed examinanda sunt duo sequentia dubia necessaria scriptu. Videlicet,

## DUBIUM XIII.

*An Imaginatio Matris sit causa Monstrorum?*

**E**xtrinsicam, sed præcipua causa monstrorum est Imaginatio Parentum, & præcipue Matris. Licetus de *Monstris lib. 2. cap. 42. & cap. 84.* Idem de *Humani fœtus Constitut. cap. 26.* Plurima sunt exempla vetera, & nova. Gallinam ovis incubantem, milvi aspectu perterritam exclusisse pullos milvino capite scribit Avicena *lib. 1. de Animal.* Regina Æthiopiæ ex Rege Marito Æthiopiæ filiam albam edidit, cum sæpe aspexisset statuam candidam propè thorum collocatam. Heliodorus *lib. 1. de Rebus Æthiopia.* Anno Christi 1282. In Pontificatu Martini Papæ IV. Matrôna de familia Ursinorum



finorum peperit filium villosum, & in speciem Ursi unguis armatum, ex aspectu imaginum Ursorum, quæ in dicta domo erant depictæ. Lycosten. Anno 1282. Item Anno 1599. Matrona aliquin honesta Venetiis edidit gemellos ita conjunctos, ut ægrè sexus discerni posset. Pudendi partus pudenda causa fuit, nempe propudiosa imago suspensa in thalamo, qua complexus sponforum exprimebatur. Stengelius de *Monstr. cap. 5. §. 13.* Bononiæ Uxor pharmacopola gravis, cum sæpè angues excoriatos observasset, ac vehementius appetivisset, puerum anguino capite peperit; ut ex Aldrophando refert Schottus *d. lib. 5. cap. 30. §. 3. Vers. Dubium non est.* Qui §. 1. etiam narrat se legitè Historiam memorabilem mulieris gravis, quæ postquam vidisset in erecto pegmate amputari capita nonnullorum reorum, paulo post peperit infantem Acephalum. Alia refert exempla idem Schottus *d. lib. 5. cap. 28. §. 4.* concludens cum his verbis Divi Isidori: *Hac fœminarum est natura ut quales perspexerint, si vè mente cogitaverint, in extremo voluptatis estu, dum concipiunt, ralem sobolem procreent. Etenim Anima in usu Venereo formas extrinsecas intus transmittit, earumque satiata typis, rapit species earum in propriam qualitatem.* Ex hac causa Monstra nascuntur, cum sint homines informati rationali anima; dubium esse non potest, quòd sint baptizanda. Verùm ad quem finem permittat Deus nasci monstra, nimis alta Quæstio est. Nihilominus sit,

## DUBIUM XIV.

An monstra ad Prasagium, vel punitionem malorum nascantur?

**D**iximus monstrorum nascentium aliam esse causam supernaturalem, & hæc in eo consistit, quod ipsa Monstra sint signa Dei, volentis incautos mortalium animos monere, aut sanare. Non mie later, id negare Fortunium Licetum *d. lib. 1. de Monstris cap. 3. & cap. 2.* ex Philosophicis rationibus ibi per eum consideratis. Cæterum sicut per somnia, per Prophetarum oracula, per varia prodigia; ita & per monstra, atque monstrosa præmonere solet Deus, non tam probos, & cultui suo addictos; sed improbos quoque; nec singulos tantùm homines, sed integras etiam nationes, & gentes, ut ratiocinatur Schottus *d. lib. 5. cap. 29.* ubi exempla plurima adducit, & illa præcipuè, anno nimirum 578. quo puer in Thracia natus est sine brachiis, & ab umbilico deinceps in piscem desinens. Item canis capite Leonino, & alius fœtus quadrupes; quibus monstris infelix Mahometi adventus, qui terra marique dominari cœpit, demonstratus fuit. Anno 914. fœtus editus est in lucem canino capite, significans mores Christianorum illius temporis, se mutuis moribus lacerantium. Circa Annum 1389. natus est puellus quadrimanus, & quadrupes, qui portentillè dicitur Schisma Benedicti XIII. antea Petrus de Luna nominatus Anno 1512. Monstrum natum Ravennæ capite cornuto, pede rapacis avis, genu oculato, alis loco brachiorum instructum, & sexu utroque deforme, excepit bellum funestum inter Julium II. Pontificem cum universa penè Italia, & Ludovicum XII. Galliarum Regem.

Sunt etiam supplicia, & punitiones malorum monstra ipsa, quæ gignuntur; licet enim secundum

Philosophos in eis natura erret, & à præstituto sibi

sine aberret, nihilominus Deus ubique, & semper certo sine agit, secundum abditissimas consilii sui rationes. Sint aliqua exempla. Anno 998. referente Cardin. Baronio Robertus Galliarum Rex incestuosas contraxit nuptias cum muliere sibi cognationis jure propinqua, quæ illi peperit filium habentem collum, & caput anserinum. Anno 1575. maritus quidam malè tractans uxorem suam prægnantem, quadam die illi dixit iratus; Utiq; tu gestas dæmonem, quem ego gladio confodiam. Non longè post Uxor filium peperit, dimidia inferiori corporis parte bene formata; sed superiori horrida, & terra cum cornibus, quales vidimus dæmones pingi. Bagatta in *admir. orb. Christ. rom. 2. lib. 1. cap. 2. §. 2. num. 8.* Hic rememoranda monstra caudata in punitionem Anglorum, à quibus contempti fuerunt Sancti Archiepiscopi Augustinus, & Thomas, ut in dubio nono. Alia legantur in Schotto *d. lib. 5. cap. 29. §. 2.* & alia apud Anton. Masinum *cap. 27. in Schola Christiani pag. 240. & 241.* Sed illud supra omnia admirandum, quòd quidam Ludovicus Roofel, ridens dolores Uxoris suæ parturientis, quasi eos simularet, ex imprecatione Uxoris, & ultione divina diu dolorem maximum in femore dextero pertulit, & post novem menses inde excisus fuit infans masculus, qui nomen Patris sortitus est. P. Bertrand. *Lot. tract. 15. Cas. Belg. & Schottus d. lib. 5. cap. 3.* Ex his deducamus, Deum summè bonum, simulque justum aliquando erga homines agere ut Medicum ad sanitatem, aliquando ut judicem ad pœnam.

## DECISIO XLIX.

## ARGUMENTUM

Disputatur famosa Quæstio, an dentur dæmones Incubi, vel Succubi, & an hi possint generare Monstra, vel cubando cum mulieribus, vel succumbendo cum Viris?

## SUMMARIUM.

- 1 Dæmones incubi, aut succubi an generent Monstra?
- 2 Dæmones incubos, vel succubos non dari, opinio DD.
- 3 Quod dentur, verior opinio DD.
- 4 Exempla dæmonum incuborum cum mulieribus.
- 5 Generare an possit diabolus incubus cum muliere?
- 6 Dæmonis incubi ope procreari an baptizandi?
- 7 Dæmonem numquam succubum in vitio nefando.
- 8 Homo ex dæmone succubo nasci non potest.

Curiosum autem super alia omnia hucusque examinata est sequens.

## DUBIUM XV.

An ex Dæmone incubo, & muliere succuba, vel Vire incubo, & Dæmone succubo generetur Monstrum?

**T**amet si dæmones non sint corporei, nec vim naturalem habeant generandi prolem; nihilominus quæstio antiqua, ac celebris est, an dæmones possint, & soleant in assumpto corpore, & in speciem viri configurato commisceri cum viris? Quod